

19. Sed hic quidem adhuc adulescens et cito corrui-  
et velociter resurrexit. Alius quidam post multos labores  
quos in solitudine positus desudaverat, habens secum  
unum solum vitae habitationisque consortem, angelicam  
5 vitam ab adolescentia usque ad ipsam iam produxerat  
senectutem. Et nescio quomodo, diabolico instinctu,  
quasi dormitavit paululum, et parvum primo ingressum  
in corde suo Diabolo praebuit atque in desiderium mulie-  
ris incurrit, qui nec viderat quidem unquam mulierem,  
10 ex quo ad monachorum se contulerat vitam. Primo ergo  
rogare illum qui secum vivebat adgreditur ut vinum sibi  
et carnes ad vescendum deferret. Quo cunctante commi-  
nari coepit descensurum seipsum ad civitatem, non quo  
vesci carnibus delectaretur sed ut occasionem aliquam  
15 desiderii sui inveniret explendi. Super his collega ille  
miratus et verens ne forte si haec negaret maioribus eum  
traderet malis, quae poscebat exhibuit et desiderio eius  
satisfecit. Sed ille ubi vidit sibi occasionem fraudis exclu-  
sam, aperte iam et impudenter revelat desiderium suum  
20 et ad civitatem se omnino descensurum fatetur. Ille vero  
ubi multa obiciens retinere non potuit, ad ultimum dimi-  
sit. Eminus tamen subsequens observabat quid aut quo  
ire velit. Ubi autem procul positus cernit eum lupanar  
ingressum et desiderium suum contagione meretricis  
25 explesse, opperiens foris et considerans vim naturalis in  
homine legis, qua in huiusmodi delictis suscitatur sta-  
tim penitudo commissi, egressum resupinis continuo mani-  
bus amplectitur et benigne deosculans nec omnino incre-  
pans pro lapsu rogat ut expleto iam desiderio suo redeat  
30 rursus ad habitationem pristinam et ad eremi solitudi-